

TONUS XXXXIV.
MISCELLANORUM.

~~G.M.B.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VIITEBERG.
VI-45. —

SIGNAT. CCCXIII.

6 böse:

THESES THEOLOGICAE
DE HIS TRIBVS
QVAESTIONIBVS HO-
DIE TANTOPERE
AGITATIS;

Quomodo definienda & agnoscenda sit vera Religio Christiana.

An opus sit his appellationibus, Lutheranorum & Caluinistarum ad religionem veram à falsa discernendam.


Quænam sit causa odij & tantæ exasperationis nonnullorum contra eos, quos Caluinistas vocant, & an tali odio sint digni.

PROPOSITÆ AD DISPUTANDVM
IN INCLYTÀ ACADEMIA
Heidelbergensi,

PRÆSIDE
DANIELE TOSSANO, S. THEO-
LOGIÆ D. ET PROFESSORE:
Respondente,

M. ADRIANO RECKIO, HEL-
DELBERGENSE.

Horis matutinis Ad diem XL. Augusti.



HEIDELBERGAE,
Apud Abrahamum Smesmannum
ANNO CIO. IO. XCIII.



...SIBI QUITA ET
HIS TRIBVS



IN CLYTO, ET
GENERO SO D. VVENCESLAO
LESINSKY POLONO, BARONI IN
LISSA, ET GOLLVCHAV, VERÆ,
ET ORTHODOXÆ RELIGIONIS STU-
DIO SISSIMO, HASCE DE VERA
RELIGIONE THESES OBSE-
RVA NTIAE CAVSA INSCRI-
BIT, DEDICATQVE
AVTOR,

DANIEL TOSSANVS.





II

THESES DE RELIGIONE:
ET PRIMVM QVIDEM DE
PRIMA QVÆSTIONE.

THESIS PRIMA.

NIHL enim uero maiore cum emolumen-
to cognoscitur: nihil maiore cum
periculo ignoratur, quam VERA RE-
LIGIO, cuius cognoscendæ, seruandæ
& amplificandæ apud ipsos veteres ethnicos stu-
dium summum semper fuit.

Valer. Max.
lib. 1. titulus
de Relig.

II.
Et enumerat Cicero calamitates varias ex reli-
gionis contemtu ortas, eosque refutat, qui religio-
nem à sapientibus & callidis viris ad populos in of-
ficio retinendos excogitatum finxerunt: ac pruden-
ter monet, sicut tollendam SUPERSTITIONEM, ut lib. 2. de na-
tura Deorū.
RELIGIONIS stirpes non eiiciantur.

lib. 2. de DI-
uinat.

III.
Sed illud maximè dolendum est, nulla de re irre-
ligiosius à multis differi, quam de Religione: qui
eam vel in rebus externis & corruptis collocant; ut lib. 6. Instit
loquitur Lactantius: vel sua placita & inuenta Reli-
gionis normam esse volunt: omnesq; à se differen-
tientes nouam Religionem profiteri clamitāt: cùm,
(ut idem Lactantius piè scribit) veri Dei cultus ex di-
uinis preceptis cognosci, & eius naturæ ac voluntati con-
sentaneus esse debeat.

A ij

IV.

Quid enim est Religio, nisi *θεοσέβα* vel *θεοσεία*?
Oēs, ratio recta Deum colendi? & quis eum recte
& legitimè colet, qui rationem illam non ex Dei
Mich. 6. verbo didicerit, qui solus est *αὐτὸς*, & quid ipsi sit
gratum, eiūsque maiestati conueniens hominibus
præscripsit. *Non est de Deo humanis iudiciis sentendum*
(inquit Hilarius:) *A Deo discendum est, quid de Deo*
intelligendum sit, quia non nisi se autore cognoscitur.

V.

Nam de re ipsa, quid sit, potius quam de etymo-
logia vocis solliciti esse debemus: siue à relegendō:
quod ea relegamus, quae negligentes amiseramus,
Lib. 10. de Civi. Dei c. 4 ut vult Augustinus; vel quod relegenda & sāpe tra-
Lib. 2. de Na- tur. Deorū. Etanda sit, ut Ciceroni placuit: vel à religando; quod
pietatis vinculo sumus Deo obstricti & religati, ut ar-
Lib. 6. Instit. cap. 1. & 2. bitratus est Lactantius.

VI.

Religionem vocamus rectum Dei cultum, illam-
que veram sapientiam, quae ex Dei verbo intelligit,
quid Deus de se credi, quomodo coli velit: talēmq;
animām, nec non tales mores præstat, quales eorum
esse debent, qui recipiā religionē haberi volunt.

VII.

Lib. de vera Religione. Illa Religio (inquit Augustinus) ab Ethnicis vel
Philosophis non est quærenda, qui de suorum Deo-
rum natura & summo bono ineptas & contrarias sen-
tentias sonabant: Deinde, qui Dei verbum vel non
Iere. 8. v. 9. habent vel reiiciunt, qualē (inquit Ieremias) Sa-
pientiam in rebus diuinis obtinere possunt?

VIII.

Non habere autem Dei verbum statuimus non
solum Ethnicos, sed & omnes eos, qui nec totam
retinent

III

retinent verbi diuini veritatem: nec Scripturæ mentem & scopum attendere, nec se Scripturæ subiicere, sed eam suis præsumptionibus seruire volunt.

I X.

Optimus lector est Scripturarum, inquit Hilarius, qui Lib. i. de
Trinit. dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quām imponit: & inde refert potius, quām de suo infert, cogitūe id videri dictis contineri, quod ante earum rectam considerationem præsumpsit intelligendum.

X.

Et hinc certum est nasci præcipuas de Religionē controuersias, quòd alij extra Scripturam sapere volunt: & cultus Dei verbo non mandatos, ex huminis traditionibus per ἔθελοθρησκείαν constituere, ut Pontificij: alij vt Vbiquitarij, contra quos nostræ hæ Theses potissimum diriguntur, sua commenta & præsumptiones suas speciosa VERBI DIVINI prætensione venditare & insinuare student.

XI.

Atqui nemini ex nostris vnquam in mentem venit, VERBA Christi in dubium vocare: sed hoc dolemus, querimur, improbamus: quòd dum sensus verborum Christi & iuxta eius interpretationem & iuxta subiectam materiam rerumq; similium exempla non aduertitur, fundamenta idolatriæ & multarum hæresew̄n retinentur.

XII.

De intelligentia hæresis est (inquit Hilarius) *non de* Lib. 2. de
Trinit. *Scriptura; & SENSUS*, qui affingitur ab hæreticis, non sermo ipse Scripturæ perniciosus est: Humani autem eloquij sermo contradictioni semper obnoxius fuit: & facit immoderata voluntatum pertinacia, ut non rationi volun-

A iij

*tas subiiciatur, sed his, quæ aliquis excogitauit, ratio con-
quiratur.*

XIII.

Exempli causâ: Èò res deuenit, vt nouam, alienam, Caluinisticam religionem colere iudicentur ij, qui vel oralem corporis Christi manducationem non credunt, vel Sacramentorum usum externum conferre ipsam gratiam negant, qui vel organa vel imaginem crucifixi in templis suis non habent: etiamsi & articulos fidei & symbola Ecclesiæ contra hæreses conscripta toto corde amplectantur, & ad sanguinem usque & rogos eorum multi veritatem Euangelij contra Idolomanias pontificias asseruerint.

XIV.

Atqui in iis, quæ in nobis desiderant, non constitut Religio, nec sunt illa in Scripturis mandata, & abducitur quotidie populus à præcipuis partibus & officiis Religionis Christianæ, dum eius aures magna ex parte intempestiuis inuestiuis implentur, & quid vera Fides, vera Inuocatio sit, quid vitæ nouitas, quinam mores religiosorum hominum esse debeant, obliuiscitur.

XV.

Et quod deplorandum est, pauci aliquot Vbiquistarij per Germaniam, qui nec cum præceptoribus suis, nec inter se consentientes sunt, Religionem pro arbitrio suo moderari, pios & innocuos viros in odiū & vitæ periculum vocare, maximam Ecclesiarum Europæ partem sub nomine CALVINISMI traducere non dubitant.

XVI.

*Loquacitatem facundiam existimant: maledicere omni-
bus, bo-*

bus, bona conscientiae signum: & quasi de sublimi loco in totum orbem ferunt sententiam: & quia veritate non possunt pugnare, lacerant conuiciis, ut loquitur Hieronymus contra Heluidium.

XVII.

Id verò perperam fieri, & ex veræ RELIGIONIS ignoratione aut contemtu, piæ mentes facilè agnoscere possunt.

XVIII.

Desribitur enim nobis in Scriptura RELIGIO àjwñ, casta & pura nonnunquam à proprio Dei cultu, siue ab iis, quæ ad Deum pertinent: nonnunquam à moribus religiosorum & timentium Deum, accorundemerga proximum officiis.

XIX.

A veris & propriis Dei cultibus, vt Deuteron. 10. ô Israel: Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deū tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo, toto corde custodiendo præcepta ac statuta eius: quæ hodie præcipio tibi, vt tibi bene sit. Item 2. Chron. 20. Credite in Dominum Deum vestrum & securieri-
tis: Credite Prophetis eius, & prosperè vobis omnia cedent. Item Ioël. 2. Quicunque inuocauerit no-
men Domini, saluus erit: Et 1. Timoth. 1. Denun-
cia eis, ne diuersam sequantur doctrinam, nec atten-
dant fabulis, & iis, quæ quæstiones præbent magis,
quàm ædificationem Dei, quæ est perfidem. Finis
præcepti est charitas ex puro corde, conscientia bo-
na, fide non simulata: à quibus quòd aberrarunt
quidam, deflexerunt ad vaniloquium. Et 1. Iohan. 3.
Hoc est præceptum eius, vt credamus in nomen filij

eius: Item, fiduciam habemus ad Deum quidquid petierimus ab eo, nos accepturos.

XX.

Ab officiis erga proximum & moribus, tanquam ab effectis Spiritus Sancti & fidei fructibus Religio describitur. Esai. 58. Tunc exaudiet te Dominus, si desieris loqui vanitatem, satiaueris afflictos, & e-suriens fregeris panem, &c. Et Iacob. 1. Si quis vi-
detur religiosus esse inter nos, qui non frænat lin-
guam suam, huius vana est Religio. Religio pura & immaculata apud Deum hæc est, inuisere orphano-s & viduas in afflictione sua, & immaculatum se cu-stodire ab hoc mundo. Item cap. 3. Vbi æmulatio-nes sunt amaræ, contentiones & mendacia aduersus veritatem, ibi est sapientia terrena, animalis, dæmo-niaca: quæ è supernis est, est casta, pacifica, tracta-bilis, plena misericordia & fructibus bonis.

XXI.

Matth. 23. Reprehenduntur autem seuerè à Christo hypo-critæ Pharisæi, qui decimabant mentam & anethum, id est, circa minutias & ceremonias aliquot externas occupati erant, & quæ grauiora sunt legis, relinque-bant, iudicium, misericordiam, & Fidem.

XXII.

Illi enim qui nec de Deo, nec de filio eius Domi-no nostro, siue personam eius siue officium spectes ex Veteris & Noui Test. consensu & iuxta analogiam Fidei sentiunt, aut docent: qui etiam mores habent *2. Tim. 3.* nihil minus quam Spiritum Christi spirantes, μόρφωσιν aliquam Religionis habere possunt: re ipsa autem non sunt tales, sed vim pietatis abnegant.

XXIII.

Sed magnum est discrimin inter multas Ecclesiæ,
per Ger-

per Germaniā præsertim , in quibus non pauci Chri-
stum reuerentur , Ecclesiæ symbola cū simplicitate
admittunt , & prodigiosis dogmatibus Vbiquitariorū
eorumq; importunis clamoribus non delectantur ,
licet in doctrina Sacramentaria per omnia sese expe-
dire , vel modum vniōnis Sacramentalis aſſequi non
possunt : & irreligiosos ac profanos illos rabulas , qui *Ierem. 23.*
furantur verba Domini , & dicunt , Dominus dixit :
dum sua portenta rabiosè tuentur , & de persona &
corpore Christi , de Cælo de Sacrementis , quibus al-
lignant & tribuunt virtutem & efficaciam Spiritus
Sancti , aliena & planè erronea obtrudunt .

XXIV.

Hi meritò damnantur , tanquam veræ religionis
violatores ac interim **V N A** est **F I D E S** , propriè ni-
mirum sic dicta , & in illo cœtu , qui **V N V M** verum
Deum colit , & quem misit Iesum Christum , & sub il-
lo tanquam capite vnum sit corpus , & totus ab **V N O**
illo magistro pendet .

XXV.

Idcirkò Religio nobis dicitur **C H R I S T I A N A :**
non solùm , inquam , Subiecti respectu , quia nos
Christiani eā amplectimur , & à Turcis , Iudæis , Eth-
nicis discernimuri : verùm in primis obiecti ratione ,
nempe **I E S U C H R I S T I** , qui est fundamentum do-
ctrinæ Christianorum , & is , qui nos docuit , quid cre-
dere , quid facere , quid sperare debeamus : quibus
tribus Christiana religio continetur .

XXVI.

Hæc religio suos quoq; habet ritus , quorum alij ad
Fidei confirmationem faciunt , tanquam Sigilla pro-

B

missionis gratiæ, ut Sacra menta: alij ad ordinem & decorum sine superstitione & opinione meriti aut necessitatis spectant.

XXVII.

Illis necessariò vtuntur, qui legitimè vti possunt, tum propter Christi mandatum, qui etiam eorum est autor, tum propter fidei nostræ imbecillitatem. Alij pro ratione locorum, opportunitatis & ædificationis Ecclesiæ usurpantur: vt de certis diebus & locis conuentuum Ecclesiasticorum: de certis festis, præter diem Dominicum, de vestitu Ministrorum Ecclesiæ & similibus: ita tamen, vt ordine & decenter omnia semper fiant, quantum fieri potest.

XXVIII.

Hæc qui attendunt, hæc inquam, quæ certa ratione & euidentibus Scripturæ ac veteris Ecclesiæ testimoniis nituntur, non vociferabuntur nouari aut deformari Religionem, quando à piis & pacis veritatisq; amantibus Magistratibus, interdictur ministris Ecclesiæ calumniis, acerbis & intempestiuis insectationibus, horridis. & Scripturæ inusitatis phrasibus de Christo & de Sacramentis: Ceremoniis etiam non nullis non habentibus mandatum in Scriptura, sed potius detinentibus hominū animos in praua aliqua vel superstitione opinione: quandoquidem constat omnem speciem Idolatriæ fugiendam, & illam religionem optimam, quæ ad puritatem & simplicitatem Apostolicorum temporum maximè accedit,

XXIX.

cap. 10. de
vera Reli-
gione. Nullus error in Religione esse potuit, inquit Augustinus, si anima pro Deo suo non coleret res corporales, vel sua phan-
tasmat, aut horum aliqua, aut simulonia.

Nec

XXX.

Nec excusare aliquem coram Deo potest igno-
rantia: imò iustè præcipitabitur in grauiorem ignorantiam Lib. 3. deli-
(vt monet idem Augustinus) quis circum non studuit veri-
tatem, & habuit discendi opportunitatem: quod ab iis ob-
seruari meritò debet, qui suæ pigritiæ vel irreligiosi-
tati prætexunt difficultatem sciendi quid sit verum
inter tot controuersias.

VI

XXXI.

DIXIMVS quantum peccetur hodie in veræ Religio-
nis definitione, siue eius principia, siue pro-
prium subiectum spectes. Alter quoqu; error notandus est, eorum scilicet, qui se non melius hodie à sectis
discerni posse putant, quàm si se Lutheranos vocent: alios autem à suis dogmatibus de persona Christi &
Sacramentis dissentientes, Caluinistas appellandos contendunt: quam appellationem quando viri boni
admittere nolunt, insulsè concludunt, pudere eos suæ religionis.

De altera
quæstione,
An Luthera-
norū & Cal-
uinistarū ap-
pellatione
sit opus ad
discernendā
veram Reli-
gionē à falsa

XXXII.

Id verò quantum & à Scripturæ præceptis & à ve-
teris Ecclesiæ consuetudine & ab ipsa ratione abhor-
reat, breuibus ostendemus.

XXXIII.

Primùm enim id fit non sine contumelia vnius il-
lius ἀρχιδιδασκάλων, & magistri, à quo cognominamur
Christiani, in cuius nomen baptizati sumus, & quem
religionis nostræ solum agnoscimus autorem, qui
disertè mandauit, ne alij quantumuis excellentes vi-
ri, imò ne Apostoli quidem, tales se magistros Eccle-
siæ cognominari patiantur, à quibus scilicet religio
pura & vera vel autoritatem sumat, vel discernatur. Matth. 23.

B ij

XXXIV.

Tom. 2.
VViteb. In
admonitio-
ne ad om-
nes Christia-
nos pag. 17. Quod Lutherus ipse considerans grauiter illos in-
crepat, qui præpostero aliquo zelo Lutheranos se co-
gnominant: *Vos (inquit) Christianos non Lutheranos*
vocari decet: Doctrina quippe Ecclesiae non est mea, sed Chri-
sti: Et cur de nomine meo, qui miser vermis sum, appellen-
tur filii Dei? Deponamus itaque nomina illa sectarum, &
CHRISTIANI vocemur.

XXXV.

1. Corin. 1. Et id quoque inter Corinthios D. Paulus seuerè prohibuit, tanquam contentionum & schismatum seminarium, subiectis iisdem rationibus, quas thesi 33. expressimus. Alij tunc Pauli, alij Apollo, alij Christi discipuli esse volebant: *Num (inquit) diuisus est Christus? num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati fuistis? &c.*

XXXVI.

Qui locus Apostoli sic eludi minimè potest, ut cum eludere conantur Pseudolutherani quidam Doctores, dum aliam esse rationem aiunt, quando doctrina est diuersa, ut nostro tempore, quam tempore D. Pauli, quo eandem doctrinam omnes Christiani amplectebantur: quapropter non opus fuisse, ut se à diuersis doctoribus cognominarent, ut à Paulo, Cepha, & aliis, quorum eadem erat doctrina.

XXXVII.

Verùm illa exceptio mera est petitio principij, si quidem hoc ipsum controvertitur: an scilicet unquam liceat se in causa religionis ab hominibus cognominare, ut olim diuersæ Philosophorum sectæ se Stoicos, Peripateticos, Epicureos cognominabant: quod nefas esse appetet ex rationibus à D. Paulo & ab ipso Luthero adductis.

Nam

XXXVIII.

Nam generalis est hæc regula : Ab eo solo debemus in causa religionis cognominari, qui vñus est autor nostræ Fidei, & in cuius nomen baptizati sumus.

P. I.

XXXIX.

Ideo Apostolorum tempore quamuis non omnes ita purè docerent Christum, quemadmodum docebat Apostolus Paulus, vt videre est cap. 2. ad Galatas, & cap. 1. ad Philipp. & iam tunc sectæ & hæreses gliscerent: nunquam se tamen Christiani, vt à minus puris doctoribus fecernerent, à D. Paulo cognominarunt.

XL.

Imò nec in veteri illa Ecclesia in qua ex medio Christianorum tot hæreses emergebant, quæ recensentur apud Epiphanius & Augustinum, vnquam se Orthodoxi vel Athanasianos, vel Cyrillianos vel Augustinianos vocarunt, licet illi non minores fuerint assertores & vindices veritatis Christianæ, quàm Lutherus: quem hodie Vbiquitarij ipsi cum summo suo dedecore, coguntur fateri successuè fuisse illuminatum, nec omnia eius scripta, (quæ illi tamen sine notis & tanquam oracula edi sine delectu voluerunt) planè esse pura, & à fermento Pontificio repurgata.

XLI.

Ambroſius certè in 1. cap. 1. ad Corinth. scribit: *Dividitur Christus, cum alijs se cognominant ab illo doctore, alijs ab alio, quia gloriam eius sibi partiuntur: ut hæretici, qui se Arrianos, Donatistas, Manichæos vocari non abhorrent: diuersa illi de Christo tradunt: & cur homines Fidei facimus autores? &c.*

B iij

XLI.

Lactantius lib. 4. Instit. cap. vltimo: Cum Valentini-
ni, Marcionita, seu quilibet alij sic nominantur: Christiani
esse desierunt: qui Christi nomine amissis, humana & externa
vocabula induerunt. Sola Catholica est, quæ verum suum
cultum retinet.

XLI.

Nec sequitur iuxta illum locum D. Pauli, eos simili-
modo reos esse, qui se à Christo Christianos appell-
iant, ideo quod D. Paulus I. Cor. I. non minus illos no-
tare videatur, qui dicebant *Se esse Christi*: quām qui se
Pauli, Cephæ &c.. Neque enim illam receptam in
Ecclesia appellationem, sed schismata reprehendit
Apostolus & eorum præsumptionem qui se aliis Chri-
stianis meliores & sanctiores esse putabant, quales
sunt hodie Iesuitæ..

XLIV.

Meritò igitur qui in nostris Ecclesiis sunt, haud-
quaquam se Caluinistas vel Zuinglianis appellari vo-
lunt, non quod pudeat eos veritatis, sed quia non pu-
det Christi, nec ipsos tñdet nominis Christiani: Dein-
de, quia illorum Doctorum scripta cum iudicio & li-
bero examine legunt, & Fidei suæ longè alium habēt:
& vetustiorem autore, eum scilicet, qui ante omnes
est, Iesum Christum: neque illorum autorum testi-
moniis vel in concionibus vel in scriptis doctrinam
Ecclesiæ confirmant, sed Scripturæ Veteris & Noui
Testamenti consensu, nec non Orthodoxæ veteris
Ecclesiæ, si quando opus est, testimonia malè sentien-
tibus opponunt: dum Vbiquitarij & conciones suas
& librum suæ Concordiæ contra veritatem scriptum
Lutheri dictis & testimoniis complent & reficiunt.
Religio

XLV.

Religio vera quærenda est (inquit Augustinus) De vera Religion.
apud eos solos, qui Christiani, Catholici & Orthodoxi nomi-
nantur, integritatis custodes: quibus & nos appellationi-
bus contenti sumus.

VIII

XLVI.

Item libro de utilitate credendi cap. 7. una est Ca-
tholica Ecclesia: cui hæreses alia diuersa nomina imponunt:
cum ipsæ singulæ propriis vocabulis appellantur.

XLVII.

Et quamvis omnes hæretici Catholicos se dici vo-
lunt: id tamen, ut respondet Augustinus, in speciem
fit tantum, & fit statim manifestum, Ecclesiam Dei
propriè illud nomen, & cum nomine integritatem
doctrinæ retinere.

Cōtra ep̄. fundam. Ma-
nich. ca. 4.

XLVIII.

Quapropter putidum est admodum, quod nuper Schad. p. 12.
contra D.
Marc.
quidam scripsit, eum, qui nec Lutheranus aut Vbi-
quitista esse velit, Nullibistam esse, siue nullius Reli-
gionis: quasi ante Lutherum & Vbiquitarios omnes
Christiani Nullibistæ fuerint.

XIII. Calvinita.

XLIX.

Deniq; nihil turpius ab Vbiquitariis Pseudolutheranis committi potuit, quām quod à Pontificiis vete-
rem appellationē Catholicorum sibi eripi sunt passi,
& Lutheranorum nomine magis sunt delectati, quasi
Lutherus ipsorum fidei dederit initium, vel ipse solus
Religionem repurgarit, cùm ante ipsum singulis se-
culis & cum ipso & post ipsum alij idem summa cum
laude & non sine martyrio præstiterint.

L.

Sed quid eos nunc quæso appellatio Lutheranorum, vel cognomen Lutheranum iuuat, vt à malè sentientibus discernantur: quando inter Lutheranos alij Philippici, alij Brentiani haberi volunt: alij generalem Vbiuitatē, alij restrictam tantum credunt, & generalem vt dogma prodigosum palam exagitant: alij cum Lutherō de seruo arbitrio & de Prædestinazione sentiunt, alij illud dogma explodunt.

L I.

Nullus itaq; finis erit, si ab hominibus hominūmque autoritate & nominibus pendere in negotio Religionis volemus. Et de hac quidem quæstione satis.

L II.

De tertia
quæstione:
De causa o-
dij contra
eos, qui ab
Vbiuitariis
Caluinistæ
nominatur.

QVÆRITVR tertio de causa odij tam acerbi mul-
torum contra eos, quos Caluinistas vocant, & an
tali odio sint digni.

L III.

Quod ad odium attinet, respondere possumus, nihil omnibus temporibus tam inuisum fuisse, quām veritatem: & si odiosum non nullis, rursus plurimos esse in omnibus regionibus & prouinciis viros magnos & bonos, qui nobis faueant, & eandem doctrinā agnoscant & profiteantur.

L IV.

Non ergo statim quod non nullis est odiosum, à vi-
ris bonis & prudentibus vituperari aut reiici debet,
præ-

IX

præsertim cū per ipsam Germaniā non pauci summi principes & Heroes, & magni quoq; Ecclesiarum, quas Lutheranas vocant, proceres & Doctores, quos aduersarij nostri Vbiquitistæ pro præceptoribus aliquādo agnouerūt, re diligentius perpēsa animaduerterint, nos rectè sentire, & in nobis Nomen, quod nobis affingitur Zwinglianorum & Caluinistarum dānari potius, quàm crimen.

L V.

Sicut veteribus olim Christianis accidisse commemorat Tertullian. cap. 3. Apologeticus, odio siffimum esse sine causa Christianum nomen: *Bonus vir (inquit) Caius Seius, sed malus tantum, quod Christianus. Nomen, non crimen in nobis damnatur, & ignotam sectam vox sola prædamnat, quia nominatur; non, quia reuincitur: odio est in hominibus innocuis nomen innocuum.*

L VI.

Et cur quæso plus tribuatur iudicio Huberi, Schlusselbergij & similiū rabularū Caluinistis, quos vocant, iam quinque, iam sedecim errores obiciens, & tribunitiis concionibus & calumniis nos infestantium, quorum nonnulli palam sunt infames: alij turbulenti & seditiosi homines & propter seditiosas conciones suis olim moti locis, quàm iudicio Philippi Melanchtonis, Casparis Crucigeri senioris, Buceri, Capitonis, Victorini Strigelij, Camerarij, Sturmij, & tot aliorum nostra hac ætate in omnibus Germaniæ Academiis excellentium virorum, qui nos non dannandos, sed amandos censuerunt: vt nihil dicam de iudicio tot magnorum Theologorum & Martyrum.

C

per Galliam, Angliam, Belgium, Heluetiam & alias prouincias, qui eandem nobiscum doctrinam professi sunt, & profitentur.

L V I I.

Præ illis certè meræ quisquiliæ & feces hominū sunt, qui hodie tot conuicia in nos effundunt: & ut maximè nonnulli alicuius nominis Theologi in Germania Vbiquitarij dogmatis assertores & propugnatores, nos quoq; in odium vocarint: quis eis quæso hanc dictatoriam aut papalem autoritatem tribuit, vt doctrinam à tot Ecclesiis receptam & sanguine multorum obsignatam, à tot eximiis Theologis in Germania approbatam tanquam hæreticam traducerent & exagitarent?

L V I I I.

An quia Tu dicis, hoc pro me facit, id contra te: statim admittendum est? Es ergo tu Regula veritatis? vt quidquid contra te facit, verum non sit: (quemadmodum olim Faustum Manichæum Augustinus compellabat?)

L I X.

Quid quòd illi ipsi dogmatis Vbiquitarij antistites, & Caluinum & aliquot alios Heluetiæ doctores pro fratribus & præceptoribus olim agnouerunt, & eorum nonnulli temporibus dubiis optatum confugium ad Helueticas Ecclesias habuerunt?

L X.

Et quod est huius rei caput: illis enim verò nullo modo

X

modo iudicium de tot Ecclesiis competit, qui ipsi-
met non solum à nostris Theologis vel à Pontificiis,
sed & à plurimis Ecclesiis, quæ Lutheranæ dicuntur,
& à suis met sociis aberrationis à doctrina symbolorū
& ab Augustana Confessione redargutis fuere: ut te-
stantur tot exceptiones principum & ciuitatum ac
aliorum procerum, qui libro concordiæ ante 12 an-
nos subscribere recusarunt: quod ipsum Acta Que-
delburgici conuentus & publica scripta Helmstadi-
norum Theologorum docent.

L XI.

Sed fit studio præsumptionis & contumacia, ut quis magis
sua prava & falsa defendat, quam ad alterius facta & verba
descendat: quemadmodum scribit Cyprianus: Quare
non immerito pronunciauit Augustinus: Superbiam
Ad Pompei.
contra epist.
Steph.
omnium hæresewn esse matrem.

L XII.

Illi superbiæ comes est crudelitas, quæ exiliis,
tetricis carceribus, truculentis minis, atrocibus calu-
mniis, scurrilibus scriptis, interdictione librorum no-
stræ partis, falsa dogmata tueri, & veritatem oppri-
mere conatur.

L XIII.

Crudelitatis specimen magnum dedit nuperrimè
ventosus ille visitator in thesibus de visitatione Ienæ
editis: quando in præfatione putat nemini debere li-
cere hiscere contrà illos Dominatores Fidei alienæ:
& Sacramentarios, quos vocat, non tam Theologo-
rum scriptionibus, quam ordinum Imperij proscri-

C ii

ptionibus coercendos. Item Thes. 63. nostros crepare martyria , at nullos posse ostendi rogos, equuleos, rotas nullas. Ita crudelis homo pro nihilo dicit tetros carceres, crudeles minas, carnificinas cōscientiarū, quibus multos bonos viros toto hoc se quianno cruciarunt, nonnullis etiam ad mentis perturbationem adductis : fæmina nec non honesta , & viri inter ipsos clari filii in desperationem coniecta : quæ præclarafacinora in NARRATIONE s historicas referre non puduit Vbiquitarium narratorem Francum.

LXIV.

Talibus profectò viris displicere & odio esse non ignominia, sed gloria est : nec his artibus sese tuebuntur, aut veritatem oppriment Vbiquitarij: sed tum Pontificiorum, tum etiam omnium eorum , qui aliquo iudicio pollent, ludibrio & cachinnis sese exponent : & emerget tandem aliquando tremefacta libertas, & veritati nec locus deerit nec triumphus. Et hoc quidem de ijs, qui nostrum nomen per Germaniam ita odiosum reddere student.

LXV.

Quod ad rem ipsam porrò attinet, diu clamatum fuit, eos, quos Zwingianos vel Calvinistas vocant, ideò esse odio dignos, quòd τὸ πῆλον in verbis Cœnæ non sequerentur, & verba Christi in dubium vocarent. Atqui responsum est, eum non negare vel aspernari verba Christi, sed ea potius rectè interpretari, qui διάβολος inquirat : imò Scripturam malè intellectam non esse Scripturam , vt monet Theodoreetus : responsum est, aduersarios nihil minus, quam

quam verbis Christi infistere, qui neque dixit, In pane latere suum corpus, neque voluit huiusmodi latibulum corporis inuisibilis, sed Sacramentum veri illius & visibilis corporis, quod discipulis assidebat, et paulo post erat crucifigendum, instituere: denique eò compulsi fuere aduersarij, ut faterentur, non tis præsidij esse in verbis Christi, & Papistarum macam consecrationem effugi non posse, nisi credatur Christus cum corpore & sanguine suo verè in cœna præsens, priusquam verba Cœnæ recitentur.

XI

ad Dalmatiam
editio VII ap
1545
fol. 130v
vers. 10

Brent. in Re
cognit. p. 130

L XVI.

Confugerunt itaque ad dogma Ubiquitatis, quod multi tamen inter ipsos Lutheranos agnouerunt nihil facere ad præsentiam illam specialem *τῆς κοινωνίας* Christi: & labefactare doctrinam de veritate carnis ipsius: idcircò Lutherum maturè ab illo fundamento recessisse.

L XVII.

Clamatum fuit nos odio dignos esse, quod nostri maiores noluerint Augustæ subscribere Augustanæ Confessioni, & nostram de Cœna sententiam in illa Confessione improbari.

L XVIII.

Responsum fuit, non posse damnari, qui præcisè illi confessioni non subscriperint, cùm aliquot millia hominum in Ecclesiis Lutheranis, etiam multi ministri eam nunquam viderint, aut legerint: ut de tot piis viris nihil dicamus, qui diu ante & post illam Confessionem vixerunt, & corde, atramento, & sanguine.

C iii

veritati Euangelicæ subscripsere: & non paucæ aliæ etiam principum Germaniæ & aliarum gentium Confessiones exten^tvberiores, & Conciliis ac Regibus propositæ, & tum Pontificiis idolomaniis, tum aliis hæresibus oppositæ.

Confess. Du
cis VVirtēb.
Confess. Sa
xonic.
Item Mans-
feldic. &c.
Confess. Gal
lica, Belgica.
Scotica, &c.

LXIX.

Responsum fuit, meritò suspectum fuisse articulum de Cœna, Augustæ conscriptum, cùm eum Pontificij, tanquam suę sententiæ consentaneum admiserint & adprobarint: nam & priori Apologiæ Transubstantiationis dogma verbis Theophylacti inseratum erat.

LXX.

Responsum fuit, cùm posteriora & recognita scripta sapientiora sint prioribus, & in summo metu & periculo scriptis: nos Confessionem Augustanam ab autore recognitam & explicatam, viuente nec id villo verbo improbante ipso Lutherò, meritò pluris facere priore: quod ipsum principes & alij Euangelici ordines in conuentu Naumburgico in suis Ecclesiis fieri professi sunt.

Ann. 61,

LXXI.

Responsum fuit, nulos plus eleuare autoritatem Augustanæ Confessionis, quām Vbiquitarios, qui publicis scriptis autorem, quem tota Europa nostra reuerita est, leuitatis, inconstantiæ & imperitiæ in rebus Theologicis insimulant: subinde ad incorruptam confessionem prouocant confirmantes obiectionem Eccij, qui Euangelicis diuersitatem Confessionis Augustanæ obiiciebat: & Augustanæ Con-

fef-

XII

fessioni, tanquam imperfectæ, & in qua acquiescere non potuerunt, varios centones & multa noua dogmata in libro Vbiquitariæ Concordiæ assuere non dubitarunt.

LXXII.

Tandem inuenti sunt rabulæ, qui illis calumniis & obiectionibus diffidentes, litem nobis de Prædestinatione & efficacia mortis Christi mouerunt.

LXXXIII.

Atqui statim demonstratum fuit, illas ipsas phrases, quas prò asperis & alienis habent, & in libris nostrorum suggillant, tum in Scriptura, tum in libro Lutheri de seruo arbitrio reperiri, nos de illo capite religiosè & ex Dei verbo, nec non cum Bucero, Herbrando, & aliis nostri temporis Theologis magnis loqui, & in hunc finem, ut Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus, quos ex illo dogmate refutarūt Augustinus & Lutherus, occurratur; & conscientiæ infirmitatis fidei suæ sibi consciæ, recordatione Electionis æternæ, quæ ex posteriori & vocatione in Ecclesiam agnoscitur, se erigere possint.

LXXXIV.

Et eò res iam euasit, vt & Pontificij & Vbiquitario-
rum proceres nonnulli agnoscant, dogma illud de
efficacia mortis Christi in omnibus & singulis homi-
nibus sine vlo discrimine, viam ad Pelagianismum &
Epicureismum sternere.

Vide Ofian-
drum contra
Puccium: &
Peracium Ie-
suitam VVi-
tebergensem
contra cun-
dem.

LXXXV.

Quod si ἀκυρολογίας essent conquirendæ, vt aduer-

farij toti in eo sunt, vt ex priuatis scriptis nostrorum, præteritis publicis nostris confessionibus, quædam decerpant, detorqueant & exagitent: Deus bone, quæm periculosa dicta, imò integræ sententiæ, nec non paradoxa ex scriptis Lutheri, Brentij & recentiorum Vbiquitariorum desumi possent, quæ Arrianis, Eutychianis, Pontificiis, Schyvenckfeldianis & aliis hæreticis nimis adstipulantur.

LXXVI.

Sunt itaque meræ petitiones Principij, quod ambitionis quidam, & arrogantes Dictatores nuper editis scriptis pronunciarunt & Vbiquitarius quidam doctorculus in sua præfatione nuper protulit: cum iis pacem non posse coli, imò eos acerbè redarguendos, iuxta Basiliū lib. I. contra Eunomium, qui nouis adiunctionibus malum errorem amplificet, & cœlestem doctrinam præceptis philosophicis subiificant. Item iuxta D. Paulum Galat. 5. excindendos eos, qui Ecclesiā conturbant.

LXXVII.

Redarguendi sunt malè sentientes, sed ut idem Basilius ibidem ait, *per doctrinæ puritatem, per fidei veritatem, per verborum sinceritatem*, non per calumnias, mendacia, seditiones, quibus implent & turbant principes & Resp. ut nuperrimè Lipsiæ & in Silesia accidit, ut verè illis visitatoribus cum Elia responderi possit: Non conturbauimus Israëlem: sed vos & domus vestra derelinquentes Iehouam & ambulantes post Baalim ac verè sanantes vulnera bestiæ. Ac nos quidem omnino pacem querimus & optamus, sed non cum unguis.

Philip. Mar-
bach. in præ-
fat. contra
Pezel.

Mylius in
thesib devi-
tatione.

*vngibus, vt Basilius loquitur: verùm cum capite & præ-
cipuis membris Ecclesie Christianæ: & huiusmodi vn-
gues & feroce bestias Vbiquitarias facile contemni-
mus.*

Epist. ad Pa-
trophilum.

XIII

LXXVIII.

Probent illi prius, regnum Dei in solis angulis ipso-
rum aut in solis pulpitis Vbiquitariorum esse, vt Do-
natistæ sola Aphrica illud contineri volebant, verba
dantes Christo, cor Donato: vt loquitur Augustinus.

Lib. 2. contra
Parmenian.

LXXIX.

Vt igitur hanc Disputationem concludamus, cer-
tum est causam tanti odij nonnullorum contra eos,
quos Caluiniſtas vocant, esse ambitionem, pertina-
ciam & effrenem calumniandi libidinem eorum, qui
licet à verbis Christi de Cœna ad dogma Papæ Nico-
lai, vel Petri de Alliaco, olim Cardinalis; ab Augusta-
næ Confessionis vero sensu ad portenta & meras con-
tradictiones Vbiquitariorum defecerunt: sua garru-
litate animos suorum auditorum dementant: suo
ventri, non Christo seruiunt, & omnia legitima iudi-
cia Ecclesiastica subuertunt: quò magis exorandus
est magnus ille Iudex & Pastor, cuius sunt oves, vt
breui appareat, Amen.

Apocalypſ. 22.

Tu inquam veni Domine Iesu.

D



AD LECTOREM.

NON erat fortasse inter causas odio, & tot inuectuarum
Pseudolutheranorum contrà Catholicos Orthodoxos hæc
prætereunda, quod pleriq; ex illis rabulis magno pretio conduci
se patiuntur ad maledicendum Orthodoxis: inter quos est D.
AE GIDI V S H V N I V S, qui postquam relicta sua vo-
catione Marpurgensi splendidam domum VViteberge, ur-
bem vix ingressus dono accepit: ita furere contrà Orthodoxos
capit, ut inter alia nuperrimè mense Iunio, in suis Thesibus
de Cœna Domini, & Persona Christi contrà me editis, statim
in limine, ex ingenti melancholia, vel Lycanthropia se cum
lupo congrederi sibi imaginetur: imò oblitus decori, & se hoc
tempore esse Vbiquitariorum Atlanta, tantum se inter tam
sumtuosas visitationes demisit ut cum magno stomacho F V-
T I L E S & E L V M B E S (sic enim eas vocat) tantiq; Gi-
gantis ira indignas, nostras de visitatione Saxomisica theses
adoriri voluerit: Videntur tamen eius lacerti & lumbi non
parùm in Saxonia elanguisse, sicut & olim Milonis Croto-
niata & senescentis: quandoquidem in breuissimis nostris thesi-
bus, quas is tamen pro nugis habet, examinandis vix ad dimi-
diā partem (ac si iam ilia duceret) progredi potuit: & in illo
suo specimine contrà nostras theses, meris conuiciis, & peti-
tionibus principij, (quod partim timidorum, partim sophi-
starum est proprium) se se tuetur: & dum in plerisq; nostris
thesibus, quod carpat, vix aliquid reperit, iam ad Bezan
versus Allobrogas, iam ad Pyrenæos usq; ad montes ad Da-
næum

XIV

naum expatiatur. Si ei Spiritus aliquando redibunt, & reliqua quoque capita de Baptismo, & Prædestinatione pertexe-re animus erit, quemadmodum Lectoribus spem facit: dabi-mus (Deo iuvante) operam, ut æqui Lectores intelligent, quamfutiles, & elumbes sint gigantes, quoties pro domo, & foco contrà veritatem pugnant. Eiusporrò de Cœna Do-mini, & Persona Christi theses nostris anno superiore prone-cessaria veritatis, & innocentium hominum de-fensione editis oppositæ, tunc demùm ab ami-co monstratae mihi fuerunt, cum iam hæ nostræ sub præ-lo essent.

F I N I S.



... und das d' man für mich ist? ... nicht gesprochen
... und gescheitert ist? O endlich du lieber du wahrer
... Gott! Ich kann nicht mehr leben ohne dich. Und du bist
... der einzige Mensch auf Erden (Wiederholung). Und du bist
der einzige Mensch auf Erden
... und du bist der einzige Mensch auf Erden
... und du bist der einzige Mensch auf Erden
... und du bist der einzige Mensch auf Erden
... und du bist der einzige Mensch auf Erden
... und du bist der einzige Mensch auf Erden

2117.



Umg. VI 45

ULB Halle
002 379 767



3

s. b.

WNA

THE FLOWERS OF THE EARTH ARE IN SEVEN
WORLDLY SIGHTS: R.

18.0 : 18.9 : 19.0

ព្រះរាជាណាចក្រកម្ពុជា

ព្រះមហាក្សត្រ បាន់បាន់

សាសនា ព្រះមហាក្សត្រ

卷之三

SC xviij; signatur: 21. 3. 1.

三十六、長沙縣

ព្រះបុរាណជាតិសាស្ត្រ

1. G. J. E. 2. G. J. E. 3. G. J. E.

GOETTER UND GÖTTER

This image shows a close-up of a dark, textured surface, possibly a book cover or endpaper. The surface is covered in a mottled pattern of dark green, black, and brownish stains, indicating age and wear. The texture appears slightly rough and uneven.

This image shows a close-up of a dark, textured surface, possibly a book cover or endpaper. The material has a mottled appearance with various shades of brown, tan, and black, indicating age and wear. There are some lighter, irregular spots and areas of discoloration, particularly towards the edges, giving it a weathered look.

卷之三十一

131 Late 18th C. Gold

卷之三

卷之三十一

100. *Scutellaria galericulata* L.

卷之三

This image shows a close-up of a dark, textured surface, possibly a book cover or endpaper. The surface is covered in a pattern of small, irregular yellow and orange spots of varying sizes, scattered across a dark, mottled background. The lighting highlights the texture and the individual spots.

A close-up photograph of a dark, textured surface, likely a leaf or flower, showing numerous small, bright yellow and orange spots or lesions.

卷之三


THE LARGEST U.S. BANK

— 8 : 1 —

卷之三

23 JULY

Farbkarte #13



THESES THEOLOGICAE
D E H I S T R I B V S
QVAESTIONIBVS HO-
DIE TANTOPERE
AGITATIS;

Quomodo definienda & agnoscenda sit vera Religio Christiana.

An opus sit his appellationibus, Lutheranorum & Caluinistarum ad religionem veram à falsa discernendam.

Quænam sit causa odij & tantæ exasperationis nonnullorum contra eos, quos Caluinistas vocant, & an tali odio sint digni.

P R O P O S I T A E A D D I S P U T A N D U M
I N I N C L Y T T A A C A D E M I A
Heidelbergensi,

P RÆSIDE
DANIELE TOSSANO, S. THEO-
LOGIÆ D. ET PROFESSORE:

Respondente,

M. ADRIANO RECKIO, HER-
DELBERGENSE.

Horis matutinis Ad diem XI. Augusti.



HEIDELBERGAE,
Apud Abrahamum Smesmannum
A N N O C I O. I O. X C I I I.

